



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

CONSTITUTIO APOSTOLICA

## *REGIO CAMPANA\**

### CAMPANAE REGIONIS ECCLESIARUM NOVA DISPOSITIO

Quamquam Ecclesia sancta primum omnium Christi verbo atque Sacramentis vivit, nullus tamen non videt aptiorem finium Ecclesiarum dispositionem magna commoda atque utilitatem afferre posse. Quae nimur rerum compositio, cum singularum dioecesum aut Provinciarum unitati studeat, sive necessitudines omnium ordinum fidelium nectit, sive virium inutili iacturae parcit. Cuius rei causa, cum sacri Regionis Campanae Antistites, de augendo bono Christi fidelium solliciti, iam, normis Decreti Sacrosancti Concilii Vaticani II « Christus Dominus », n. 40, obsecuti, ab hac Apostolica Sede postulaverint ut Provinciarum ecclesiasticarum sua Regionis fines recognoscerentur, Nos, bonum animorum unice spectantes, post auditos Episcopos quorum interesset, haec statuimus atque decernimus. Regionis Campanae dioeceses quae adhuc Apostolicae Sedi subiectae fuerunt, iam Provinciae viciniori aut opportuniori aggregentur, nempe iuri metropolitano Archiepiscopi ad normam sacrorum canonum subiectae. Provinciae vero ecclesiasticae Compsana, Capuana et Surrentina extinguantur. Qua re compositio Provinciarum ecclesiasticarum Regionis Campanae haec erit : Metropolitana Ecclesia Neapolitana constabit suffraganeis Ecclesiis Acerrarum, Isclana, Nolana, Puteolana; Capuana et Surrentina, nec quidquam de earundem archiepiscopali dignitate immutetur ; Aliphana, usque adhuc metropolitanae Ecclesiae Beneventanae suffraganea ; Caiacensi, Calvensi et Theanensi, Casertana atque Suessana, hucusque metropolitanae Ecclesiae Capuanae suffraganeis ; Castri Maris, antehac metropolitanae Ecclesiae Surrentinae suffraganea ; Aversana et Praelatura Pompeiana, usque nunc Sanctae Sedi immediate subiectis. Metropolitanae Ecclesiae Beneventanae erunt suffraganeae Ecclesiae : Arianensis, Abellinensis, Sanctae Agathae Gothorum, Thelesina ; Compsana, quae archiepiscopalem dignitatem servabit ; S. Angeli de

Lombardis, Bisaciensis et Laquedonensis, usque nunc metropolitanae Ecclesiae Compsanae suffraganeae ; Nuscanæ, antehac metropolitanae Ecclesiae Salernitanæ suffraganea ; denique Abbatia Montis Virginis, hucusque Sanctæ Sedi immediate subiecta. Metropolitanam Ecclesiam Salernitanam constituent suffraganeæ Ecclesiae : Acernensis, Dianensis, Nucerina Paganorum, Policastrensis et Vallensis in Lucania ; Amalphitana, usque nunc Sanctæ Sedi immediate subiecta, quæ Archidioecesis titulum servabit ; Campaniensis, Cavensis, Sarnensis et Abbatia SS. Trinitatis, hucusque Sanctæ Sedi immediate subiectæ. Ad haec autem perficienda Venerabilem Fratrem Nostrum Conradum S. R. E. Cardinalem Ursi, Archiepiscopum Neapolitanum, legamus, cui omnes facultates agendæ rei facimus, quas poterit idem etiam alii subdelegare, modo viro in ecclesiastica dignitate constituto. Re vero acta, idem Venerabilis Frater Noster documenta exarari faciet, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem pro Episcopis cito mittenda curabit. Contrariis nihil obstantibus.

*Datum Romæ, apud S. Petrum, die tricesimo mensis Aprilis, anno Domini millesimo nonagesimo septuagesimo nono, Pontificatus Nostri.*

AUGUSTINUS CASAROLI <i>a Publicis Ecclesiae Negotiis</i>	SEBASTIANUS Card. BAGGIO <i>S. Congr. pro Episcopis Praefectus</i>
---	---

Iosephus Del Ton *Protonot. Apost.*  
Godefridus Mariani, *Protonot. Apost.*

---

\*AAS, vol. LXXI (1979), n. 8, pp. 562-563.